

Utrum quilibet teneatur taliter velle esse, qualiter Deus vult eum esse.

Arguitur quod non, quia quodlibet teneatur velle se beatum esse, igitur non taliter esse qualiter Deus vult eum esse. Consequentia nota, quia Deus non vult quemlibet beatum esse, quia damnatos vult non esse beatos. Sed antecedens patet, quia nullus tenetur velle quod non potest velle, nullus autem potest velle se beatum non esse, ut ait Augustinus, in Enchiridion et allegatur a Magistro, libro 2, distinctione 25, hoc idem patet libro 4, distinctione 49, ubi Magister ostendit quod omnes homines naturaliter beati esse volunt.

Ad oppositum, si quilibet tenetur velle taliter esse, qualiter iustum est esse. Sed quemlibet hominem taliter esse, qualiter Deus vult eum esse est iustum esse, igitur. Maior patet, quia quilibet tenetur quod iustum est velle et iniustum fugere. Sed minor patet, quia aliter Deus esse iniustus, cum quilibet volens iniustum iniustus dicatur.

Respondeo ponendo tres conclusiones et primo noto quod in ista quaestione non solum accipiendum taliter esse rei, ut denotatur ab aliquo positivo, sicut fuit acceptum in praecedenti quaestione. Sed etiam ut denotatur ab aliqua carentia vel deformitate, hoc posito pono conclusiones.

Prima conclusio est: aliquam creaturam rationalem Deus taliter vult esse, qualiter ipsa non potest velle esse. Probat tripliciter. Primo supponendo quod Deus velit damnatas semper miseras esse, quoniam ut ait Gregorius, 34, Moralium, ad districti iudicis iustitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Hoc supposito probo quod nullus possit se velle miserum esse perpetuo.

Probat tripliciter.

Primo sic: si damnatus posset velle se esse in summa miseria, tunc posset delectari in summa miseria. Consequens est falsum, igitur et antecedens. Patet consequentia per Augustinum et allegatur Magister, libro 1, distinctione 1, dicens. Cum adest quod diligitur etiam delectionem secundum gerit. Etiam patet ex alio, quia omnis delectatio est quedam complacentia in re dilecta. Sed falsitas oritur, quia cum solum imperium voluntatis cum cognitione obiecti possibilem posset voluntas intenso actu velle miseriam ipsam, et quanto aliquid intensiori actu diligitur, tanto amplius in ipso delectatur, cum igitur voluntas beati actu intenso finito velit beatitudinem actu [102rb] aequo intenso posset quis velle miseriam. Et per consequens tantum posset damnatus delectari in sua miseria, quantum beatus in sua beatitudine, et tunc tantum valeret alicui esse in inferno sicut in paradiso.

Secundo sic: si damnatus posset velle suam miseriam, tunc sequeretur quod in potestate damnati esset suam miseriam minuere, immo eam totaliter tollere. Consequens falsum, iuxta illud optabunt mori et mors fusiet ab eis. Probat consequentia, quia si damnatus posset velle suam miseriam, igitur libere contradictionis libertate contra ipsam miseriam habet volitionem et actum displicentiae. Si sic, igitur potest illum actum volitionis miserie non habere et actum oppositum, scilicet volitionis habere, sed volitio miserie facit eam tollerabiliorem. Igitur nolendo eam erit sibi tollerabilior, et magis volendo, magis tollerabilior, cum igitur illa pena sit finita intensive tantum posset intendi actus dilectionis eius, quod nullomodo sibi esset pena. Et per consequens in potestate cuiuslibet damnati esset facere se sine omni pena, quod est falsum.

Tertio sic: nullus potest iudicare summam miseriam sibi in esse sub ratione commodi, igitur. Patet antecedens, quia iam non apprehenderetur sub ratione summe miserie. Probat

consequentia per Anselmum, De casu<sup>1</sup> diaboli, capitulo 22, dicentem quod affectio commodi in separabilis est a voluntate. Ista conclusio est de intentione beati Augustini, ut allegatum est in primo argumento quaestionis.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: probando scilicet quod creatura rationalis potest vellesuam miseriam sic illud potest quis velle quod potest recte et iuste elicere. Patet statim, quia omnis electio aut est ipsum velle, aut ipsum includit. Sed summa miseriam potest quis recte eligere, ut puta si alicui a Dei daretur optio eligendi vel esse vel semper miserum esse, talis haberet eligere semper miserum esse, ut probat Augustinus, 3 De libero arbitrio, capitulo 3, igitur.

Secundo sic: omne illud potest quis velle quod intellectus voluntari sub ratione alicuius finis potest presentare. Patet statim, quia quodlibet quod presentatur, ut finis presentatur, ut aliquomodo bonum et omne tale potest voluntas velle, cum contineatur sub ratione formali obiecti voluntatis. Sed summam miseriam potest intellectus presentare voluntari sub ratione alicuius finis, ut puta intellectus cognoscens et quod diverse sunt opiniones. An volun-[102va]tas possit velle ipsam miseriam potest presentare voluntati, quod de hoc potest certificare per experientiam, et ideo bonum est ipsam de hoc experiri. Tunc certum est quod voluntas habebit circa summam miseriam aliquam rationem quare ipsam Deus vult, et ut experiatur et habeat noticiam an hoc possit velle.

Tertio sic: quis potest velle incommodum sub ratione incommodi, igitur. Consequentia patet, quia non est maior ratio de uno quam de alio, cum igitur miseria sit incommodum, immo maximum incommodum poterit quis ipsam velle. Sed antecedens probatur, quia aliquis potest velle occidere se ipsum quos sibi nullomodo potest apparere commodum, etiam ex experientia multorum est qui ad vitandum malum vellent esse in inferno, vel ut complerent aliquam voluntatem suam hic eligerent esse postea semper miseros. Ac etiam est argumentum factum ad oppositum quaestionis, quia iustum est in peccato mortali decedentem in summa miseria esse, igitur hoc ipse teneatur velle, igitur et potest velle.

Respondeo.

Ad primum, dico quod nullus summam miseriam potest elicere ad Augustinum, dico quod vult ibidem probare quod nullus per se potest eligere non esse. In casu autem talis optionis date de eligendo vel semper miserum esse vel nihil esse, dico quod nihil horum habet rationem eligibilitatis. Sed per accidens haberet eligere non esse, scilicet propter fugam ipsius semper miseri, esse de hoc, tamen alias dicitur diffusius.

Ad secundo, nego maiorem. Ad pronationem, dico quod intellectus non potest iudicare aliquomodo summa miseriam esse cognoscendam per experientiam, nec sufficit illud cur, scilicet ut experiatur, quia illa experientia nullomodo habet rationem commodi, sicut nec intellectus videns clare Deum potest iudicare ipsum aliquomodo esse obiendum, cum nullam rationem mali in ipso cognoscat, nec sufficit illud cur, scilicet ut voluntas experiatur ad Deum clare visum possit odire, quia illud cur nullomodo potest apparere commodum.

Ad tertio, nego antecedens. Ad probationem, dico quod nullus vult se occidere nisi in quantum hoc iudicat sibi commodum, scilicet ut ex hoc evadat miseras mundi, et sic in hoc non elicit incommodum, sed evasionem miserie. Dico etiam quod nullus eligit esse in inferno, ut in summa miseria, sed eligit vel vult suas affectiones adimplere. Deio etiam quod tales sic

---

<sup>1</sup> El scire actu diaboli

dicentes velle esse in ingerno, velem esse in summa miseria vel similia, non [102vb] intelligunt actualiter quod importetur nomine inferni vel summe miserie. Ad argumentum illud factum in oppositum quaestionis dicetur in fine quaestionis.

Secunda conclusio est: quod aliquis potest taliter velle agere, qualiter Deus non potest velle ipsum agere.

Probatur tripliciter.

Primo sic: quia quis potest velle deformiter agere, Deus autem non potest aliquem velle deformiter agere, igitur. Quod autem Deus hoc non possit velle patet, quia voluntas Dei est causa omnium que vult ab extra deformitatis, autem non potest esse causa, ut clare deducitur ex textu distinctione 36.

Sed quod homo possit velle deformiter agere probatur tripliciter.

Primo sic: aliquis potest velle frui utendis et utifruendiis, igitur. Patet consequentia, quia nulla est maior deformitas et per consequens est velle deformiter agere. Antecedens patet, quia quis potest plus diligere creaturam quam creatorem.

Secundo sic: in casu quis potest velle mentiri propter lucrum temporale.

Tertio sic: quis potest scienter et libere Dei preceptum obmittere vel oppositum agere, igitur. Patet consequentia, quia taliter agere vel obmittere est deformiter agere.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: probando quod Deus possit velle hominem deformiter agere, immo quod defecto ita vult et voluntate beneplaciti arguitur sic tripliciter

Primo sic: qualitercumque bonum est sic esse, et sic est Deus vult sic esse. Patet statim, quia Deus vult omne bonum quod est, sed bonum est aliquem peccare, igitur. Ista ratione ponitur ab Augustino, in Enchiridion, ubi ait quamvis ea quae mala sunt non sint bona, tamen non solum ut bona sint, sed ut mala sint bonum est.

Secundo sic: qualitercumque debet esse et sic est Deus vult sic esse. Sed ita debet esse et ita est quod aliquis peccet, igitur ista ratio ponitur ab Anselmo, De veritate, capitulo 8, ubi tractans, an quicquid est debeat esse quaerit an iudicabitur non debere esse quod tanta bonitas et sapientia facit et permittit, respondet debet esse pariter et quod faciente Deo fit et concludit et idem debet esse et debet non esse. Debet esse quantum ad illum qui sapienter hoc permittit, et debet non esse quantum ad illum qui mala voluntate hoc facit.

Tertio sic: quicquid Deus agit et facit esse ipse vult esse, sed Deus facit peccatum esse, igitur. Minor patet per Augustinum, De libero arbitrio, capitulo 46, Deus agit in cordibus etiam malorum quicquid vult reddens eis secundum merita eorum, et ponit exem-[103ra] plum de Rebecam filio Salamonis, etiam quomodo suscitavit Deus spiritualium philistinorum, ut ascenderent terram Iuda et disperderent eam et dicit Augustinus, ait enim omnipotens in cordibus hominum, etiam malorum motum voluntatis eorum ad hoc etiam sunt tria arugumenta facta contra tertiam conclusionem quaestionis 49.

Respondeo.

Ad primum, concedo maiorem de illo quod est bonum per se sun quod sensu nego minorem ad Augustinum. Patet per solutionem confirmationis secundi argumenti contra tertia conclusio quaestionis 49.

Ad secundum, concedo maiorem exponendo licet debet pro iuste, ut sit sensus qualiter debet esse id est iuste est esse, et nego minorem sub eodem sensu. Si etiam exponatur licet debet pro premitii, id es qualitercumque debet esse, id est premititur esse, tunc maior est falsa

et minor vera ad Anselmum. Dico quod Anselmus ibi nihil aliud intendit, nisi quod mala que permittit Deus sibi non sunt imputabilia, quia non obligatur ad non permittendum, homini autem sunt imputabilia, quia obligatur ad ipsa malo non permittendum vel operandum.

Ad tertium, nego minorem, quia Deus nullomodo peccatum facere velle potest ad Augustinum. Dico quod Augustinus intelligit quod omnem actum quem Deus vult operari in cordibus maiorum in eisdem operatur, quo ad substantiam actus. Sed non quod ad deformitatem, et quod hoc sit intentio Augustini apparet, quoniam ibidem concludens ait, agit enim omnipotens in cordibus hominum, etiam malorum motum voluntatio eorum, id est actum.

Tertia conclusio est: quod quolibet tenetur, taliter velle esse qualiter Deus vult eum velle esse.

Probatur tripliciter.

Primo sic: quilibet tenetur Deo reddere honorem sibi debitum, igitur et velle quicquid vult eum velle. Antecedens patet, quia quilibet non faciens peccat, ut ostendit Anselmus, 1 Cur Deus homo, capitulo 2. Consequentia potest per eum ibidem, dicens quod totus honor quem debemus Deo est, ut voluntas nostra sit subiecta divine voluntati.

Secundo sic: quilibet tenetur taliter facere et velle esse, qualiter Deus precipit cum velle esse, sed taliter precipit nobis taliter velle esse, qualiter vult nos velle esse, igitur. Minor patet, quia ad precepta divina obligamur. Minor probatur, quia si preciperet nobis taliter velle esse, qualiter vult non velle esse, tunc nobis preciperet quod nos facere nollet, et sic nobis preciperet contra voluntatem velle, vel facere quod non videtur verum.

Tertio sic: quilibet tenetur taliter velle fine qua-[103rb] liter velle, non potest iustus esse, sed taliter velle qualiter Deus vult, cum velle non potest quis iustus esse, igitur. Probatur minor per glossam que habetur super illud psalmum, rectos decet colaudatio, dicens. Si vis iustus esse oportet ut quandocunque vult te Deus esse velle vellis et tu etc.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: nullus tenetur facere contra conscientiam, igitur. Conclusio falsa. Patet antecedens, quia omnis qui facit contra conscientiam hedificat ad gehennam, quia omnis sic faciens vult peccare, et de facto peccat. Probatur consequentia, quia posito caus quod Deus vult Petrum velle honorare parentes sicut precepit. Potest Petrus habere conscientiam quod parentes non debet honorare, cum igitur non teneatur facere contra conscientiam non tenebitur tunc facere quod Deus vult eum velle facere.

Secundo sic: nullus tenetur velle facere quod nullo modo potest facere, sed in casu quis nullomodo potest facere quod Deus vult eum velle face, igitur. Apparet maior, quia nullus ad impossibile obligatur. Sed probatur minor posito tali casu, scilicet quo Deus voluntate efficaci volit Sor occidere filium suum et cum hoc precipiat sorti quod occidat filium suum. Iste casus est possibilis, quia sic de facto fuit quando dedit preceptum Habrae, ut imolaret folium quem tamen voluntate efficaci nolebat occidi. Isto casu posito quero, aut Sor teneatur occidere filium, aut non. Si non, cum tamen preceptum Dei sit quod Deus vult eum velle hoc facere. Igitur non tenetur velle facere, quod Deus vult eum velle facere. Et habetur propositum contra conclusionem. Si dicatu quod sic, igitur tenetur velle facere, quod nullomodo potest facere. Probo, quia quod Deus vult fieri nullomodo potest fieri, ut ait Magister, libro 1, distinctione 46. Igitur obligatur ad impossibile, quod est propositum.

Tertio sic: voluntas nostra nullomodo potest confirmari divine, igitur nec tenetur velle etc. Patet consequentia, quia taliter velle esse aliquomodo sibi conformari. Sed antecedens patet ex multis, tum quia est finita et illa infinita, tum quia illa est simplicissima. Quicquid autem simplicissimo conformatur totaliter, illud adequat et contingit, tum quia conformitas est quedam equiparantia que inter nos et Deum nullo modo potest cadere propter quod dicit Philosophus, 8 Ethicorum, capitulo gamma, quod Dei ad nos non est amicitia proprie [103va] dicta, quia amicitia quandam equiparantiam importare videatur amicus enim dicuntur amico amicus, igitur.

Respondeo.

Ad primum, negatur consequentia. Ad probationem, dico quod in tali casu ni tenetur facere contra conscientiam, nec contra preceptum, sed tenetur illam conscientiam deponere, quia erronea est, et si dicas qualiter potest scire quod sua conscientia sit erronea, dico quod hoc potest scire ex studio litterarum si sit doctus, vel ex consilio peritorum in sacra scriptura, utrum autem sic posset esse quod aliquis ex conscientia sua sit perplexus vel esse possit alia dici poterit.

Ad secundum, negatur Magistrum. Unde licet non teneatur facere quod non potest, quia nullus ad impossibile obligatur. Tamen in casu quis tenetur velle facere quod non potest facere, quia licet illud facere sit sibi impossibile, non tamen velle illud facere est impossibile, sicut in casu quo quis videre innocentem occidi posito quod non possit eum libera recte. tamen velle eum liberare. Ad minor, conformiter dico quod licet in illo casu, Sor non possit occidere filium, potest tamen velle ipsum occidere. Et si dicas arguendo ponatur totum quod stante illo precepto Deus nolit concurrere ad actum volitionis sortis, tunc impossibile erit ei velle, sicut Deus vult eum velle. Dico quod ista additio repugnat casui posito, quoniam impossibile est quod Deus [103vb] precipiat alicui quod sibi omnino est impossibile, sicut est impossibile iuxta legem aliquem ad impossibile obligari.

Ad tertium, negatur antecedens. Ad probationem, dico quod duplex est conformitas rei ad rem. Una in essendo, alia in imitando. De prima conformitate antecedens est verum, et sic procedunt eius probationes, sed tunc consequentia est falsa. De secunda conformitate antecedens est falsum et consequentia vera.

Ad argumentum in oppositum quaestionis quando dicitur quilibet tenetur taliter velle esse qualiter iustum est esse, dicitur. Primo, quod verum est si sit sibi possibile taliter, scilicet velle sed in casu aliquid in se istum est esse, ut puta peccatorem in summa miseria esse, quod tamen peccatori de se velle est impossibile, ut dicitur prima conclusio huius quaestionis, vel dicitur quod sicut dicit Magister, distinctione 46, primum aliquid est bonum in se, quod tamen alicui non est bonum, sic aliquid in se est iustum, quod tamen alicui ipsum velle non est iustum, ut puta quia impossibile. Et reddit cum prima solutione, dico igitur quod nullus tenetur taliter velle esse qualiter esse sibi non potest esse bonum vel commodum, cum hoc cuiuslibet sit impossibile.

Et in hoc fruitur sententia huius quaestionis et per consequens totius primi libri etc. Mediolani 1510, die 25, Mensi Ianuarii.